



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

VIII. Vtrum ad infusionem Virtutum Theologicarum requiratur ex natura rei
aliqua dispositio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

tionem actus supernaturalis, ut liquet ex conceptu excellentis perfectionis, quam supernaturalitas secum importat, iuxta communem eius vocis usum apud Theologos.

Ad 4. Discursus P. Ripaldæ laborat duplici falsa suppositione. Altera est, posse negari aliquam Dei reuelationem sufficienter propositam, quin negetur esse verum aliquid à Deo reuelatum; Cum omnis Dei reuelatio sit per seipsam reuelativa sui; ideoque negata qualibet Dei reuelatione, eo ipso negetur esse verum aliquid reipsa, reuelatum à Deo. Altera est, posse admittere aliquid esse reuelatum à Deo, simulque negari id esse verum, cum sit per se notum, omne reuelatum à Deo esse verum, id est, Deum nec mendacem esse posse, nec insipientem. Quæ duæ nostræ contrariæ suppositiones, innotescunt clariùs in decursu.



QVÆSTIO VIII.

Vtrum ad infusionem Virtutum Theologicarum requiratur ex natura rei, aliqua dispositio?



IDEATUR non requiri ex natura rei. 1. Quia Christo Domino insulae fuere, & infunduntur paruulis in Baptismo Virtutes istæ absque vlla præuia dispositione. Ergo hæc non est requisita, ex natura rei, nec exigitur intrinsecè per eos habitus.

2. Virtutes Theologicæ, iam semel habitæ conferuntur ulterius, ac permanent non permanente vlla eiusmodi dispositione. Dispositio autem non necessaria ad conseruationem rei, nec ad primam eius existentiam necessaria esse potest per se, & ex natura eiusdem secundum se.

3. Auxilia actualia Gratiæ, quæ sunt minus perfecta, ideoque minus habentia doni gratuiti, & proprii largitatis diuinæ, conferuntur absque præuia vlla dispositione, & sunt in nobis sine nobis, ut dictum est qu. 16. de Grat. Ergo à fortiori habitus Theologici conferuntur per se, & ex sua natura purè gratuito, & absque vlla præuia dispositione ex parte nostra.

4. Gratia sanctificans ex sua natura est prima radix vniuersalis totius ordinis supernaturalis. Ergo nihil supernaturale præsupponitur ad ipsam per se; sed tantum per accidens ratione peccati; quod oportet prius retrahere. Nequit autem esse necessaria dispositio ad infusionem virtutum; si non est necessaria ad infusionem Gratiæ sanctificantis; quia hæc illos trahit secum necessariò.

5. Ad infusionem Virtutum Theologicarum, non possunt habere rationem dispositionis præuiæ, actus pertinentes ad easdem virtutes, neque actus pertinentes ad virtutes alias. Non priores, quia non potest præsupponi ex natura rei effectus aliquis ad causam, à qua determinatè dependet ex sua natura, uti dependet actus cuiusque virtutis ab eadem virtute, & præterea in Sacramento infunditur habitus Charitatis, etiam non præhabenti actum Charitatis. Neque etiam posteriores, quia actus aliarum virtutum impertinenter se habent ad Virtutes Theologicas. Quid enim confert ad obtinendum habitum Fidei, esse abstinentem, aut fortem? Non plus perfectò, quam esse album, aut dulce ad concipiendum ignem.

6. Dispositio ex natura rei requisita ad inducendam aliquam formam connectitur intrinsecè cum existentia eiusdem formæ, & consequenter eius inductio non habet ampliùs rationem gratiæ moraliter distinctæ.

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

et ab existentia ipsius dispositionis. Nihil autem præstari potest ex parte nostra, ratione cuius debeantur Virtutes Theologicæ; utpote quibus intimè familiariter, ac amicabiliter coniungimur cum Deo, quæ tanta coniunctio cum ipso, non potest non esse gratiosa, & liberalis ex parte eius, post quamcumque cuiuslibet generis diligentiam, & præparationem ex parte nostra. Excedit nimirum infinito intervallo dignitatem omnium operum nostrorum antecedentium ad talem, & tantam dignationem Dei.

7. Dispositio ad formam influere efficitur in ipsam saltem partialiter. Quia quod nullatenus influat in formam inducendam, nulla ratione ad inductionem eius utile, aut necessarium est. Virtutes autem Theologicæ infunduntur à Deo, non verò acquiruntur à nobis; nec obtinentur actiuitate nostra; sed largitate diuina. Id quod semel ac iterum significat clarè Concil. Trid. sess. 6. Ergo ad infusionem Virtutum Theologicarum non requiritur dispositio ex parte nostra, per se, & iuxta naturam ipsarum.

Art. 1. Resp. Certum est necessariam esse aliquam dispositionem ex parte hominis, saltem respectu Gratiæ sanctificantis; atque adeò respectu habitus Charitatis, qui est indistinctus, vel certè inseparabilis ab illa. Id quod definit sæpè Conc. Trid. sess. illa 6. in Decreto de Iustificatione c. 5. 6. & 7. & colligitur ex illo Zachariæ 1. *Conuertimini ad me, ego conuertar ad vos;* necnon ex Apocal. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso. Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* In quibus clarè perspicitur, conuersionem nostram ad Deum, & apertionem cordis nostri, esse dispositionem de facto, ut Deus ad nos conuertatur, & intret ad cor nostrum. Dicitur autem conuerti, & intrare, non per infusionem auxiliorum actualium Gratiæ: quæ videlicet, præcesserint necesse est ante nostram conuersionem, & præparationem; sed dum infundendo habitus Virtutum Theologicarum, nos sibi, & se nobis coniungit, ac permanenter inhabitat in animo nostro.

Art. 2. Licet autem ista vniò atque inhabitatio tunc simpliciter, ac perfectè fiat, cum infunditur Charitas, & sanctificatio; eadem nihilominus inchoatur, cum infunditur habitus Fidei, & promouetur, cum infunditur habitus Spei; ideoque ad infusionem istorum habituum requiritur non minus, licet requiratur minor, seu minus perfecta dispositio, quam ad infusionem Charitatis. Sic enim inchoata conuersione nostra ad Deum per dispositionem minus perfectam, inchoatur conuersio Dei ad nos per formas permanentes minus perfectas. Sicut completa nostra conuersione per dispositionem perfectam, completur conuersio Dei ad nos per formam permanentem perfectissimam.

Art. 3. Istam necessitatem dispositionis, non solum ad habitum Charitatis, sed etiam ad habitum Fidei, & Spei, indicat haudquaquam obscurè Conc. Trid. loc. cit. dum definita necessitate dispositionis cap. 6. mox in principio cap. 7. adiungit, hanc dispositionem consequi iustificationem ipsam per voluntariam susceptionem Gratiæ, & donorum. Vbi dona superaddita Gratiæ sunt Virtutes Theologicæ, ut colligitur indidem post medium capitis: exponendo enim distinctius, quid accipitur in iustificatione cum remissione peccatorum, adicit: *Hæc omnia simul infusa accipi, Fidem, Spem, & Charitatem.* Horum donorum susceptio est homini per æquè voluntaria; voluntaria verò non nisi dependenter à dispositione voluntariè, & liberè ad omnes illos antecederet concepta.

Art. 4. Dubitatur iam, an ea necessitas dispositionis ad infusionem istorum trium habituum, oriatur ex sola voluntate diuina statuente pro libito non conferre eos habitus, nisi præueniente illa dispositione, eum potuisset æquè connaturaliter velle infusionem eorū

XX absque

absque illa; an verò fundetur in ipsa earum virtutum natura, ideoque dispositio requiratur ex natura rei? Probabilior omnino videtur sententia affirmans Suarez, Aluar. Medin. & aliorum cum D. Thoma. 1. 2. q. 112. art. 2. & q. 113. ar. 3. & 4. Vbi habetur hæc eius conclusionis ratio. Ad receptionem cuiusque formæ in subiecto requiritur et natura rei dispositio proportionata tali formæ, & subiecto, ut patet ex inductione omnium formarum naturalium. Ergo etiam ad receptionem formarum supernaturalium, est necessaria ex natura rei dispositio similiter proportionata. Cum ergo homo sit liberi arbitrij, & formæ istæ Virtutum Theologicarum sint supernaturales, & perfectè vniuntur hominis cum Deo vnaqueque in proprio genere, ac destinata ad actus reciproca communicationis familiaris inter Deum, & hominem; necessaria consequenter erit ex natura rei ad illarum infusionem dispositio in primis libera, deinde supernaturalis, ac demum inchoans eiusmodi unionem cum Deo.

Art. 5. Confirmatur primò. Quia homo per istas virtutes mutat statum, ut habetur ex Tridentino loc. cit. dum dicitur; *De infideli sit fidelis, & de inimico, seu non amico, amicus Dei.* At connaturale homini est, ut non mutet statum, nisi dependenter à suo consensu, & libera dispositione; ad hoc nimirum libero arbitrio prædatus est. Deinde providentia Dei cum sit perfectissima, nec interponit ipsa, nec exigit ab aliis, ad obtinendum vnumquemque finem, nisi media, ex natura eiusdem finis necessaria. Quod in ordine præcipue supernaturali locum habet; qui videlicet totus est ordo Gratiæ, & benignitatis, ac proinde exigens à nobis, quam minimum fieri potest, ut accipiantur dona, quæ sunt propria talis ordinis. Cum ergo Deus de facto postulet dispositionem ex parte nostra, ut iam patuit, ad recipiendas Virtutes Theologicas, nec aliter velit illas infundere, nec in ordine naturali quidquam simile exigit non necessarium ex natura rei, efficaciter concluditur istam dispositionem esse necessariam ex natura rei, nec exigi tantum pro libito, absque fundamento in ipsis rebus. Demum si actus, quibus non præueniunt non infunduntur istæ virtutes, essent necessarij solum ex lege Dei, & non ex natura rei, non haberent rationem dispositionis, ad infusionem earum; sed solum rationem puræ conditionis sine qua non. Hoc nempe est vnicum discrimen inter utramque. At hi actus habent rationem dispositionis, nec sunt puræ conditiones sine quibus non, ut constat aperte ex allato Tridentini testimonio. Ergo sunt necessarij, ex natura ipsa rei. Conferantur hæc cum iis, quæ dicta sunt quæst. 6. fouent enim se mutuo, quæ ibi præmissa sunt, & quæ hic subiunguntur.

Ad 1. In puro homine adulto, ideo requiritur præuia dispositio, ut apparet ex præmissis D. Thomæ fundamento, quia est liberi arbitrij indifferentis ad admittendam, & reiiciendam familiarem cum Deo coniunctionem. Christus autem Dominus nunquam habuit huiusmodi indifferentiam, & paruuli nullam prorsus indifferentiam habent, sed subiacent, quoad omnia pertinentia ad ipsos, arbitrio, ac deliberationi alterius, unde habitus Theologici non postulant in illis ullam propriam eorum dispositionem, & consensum; postulant tamen ex sua natura in adultis, sicut etiam in Angelis, ut dictum est in quæstionibus de ipsis.

Ad 2. Dispositio ista est consensus in permanentem, ac perpetuam coniunctionem mutuam cum Deo; ac proinde habet rationem contractus, aut quasi contractus perpetui inter Deum, & hominem. Contractus autem, & quasi contractus, eorumque effectus, nec subsistunt initio absque consensu partium, nec evanescent postea nisi per contrarium dissensum. Quia consensus initio adhibitus perseverat moraliter

in suo effectu, dum non reuocatur per contrarium dissensum.

Ad 3. Patet ratio discriminis ex quæst. 6. ad 2. & præterea si ad vnumquodvis auxilium Gratiæ requireretur dispositio præuia, cum ad dispositionem quamlibet salutarem certissime prærequiratur auxilium actuale Gratiæ, daretur processus in infinitum auxiliorum, & dispositionum. Quod nequaquam militat respectu habituum, ut patet, & exponetur clarius quæst. seq. ex D. Thoma. Nec ratio nostra à priori, pro dispositione necessaria ad habitus, habet vim ullam pro dispositione ad auxilia actualia; atque ideo nulla est paritas.

Ad 4. Gratia sanctificans est prima radix positivè totius ordinis supernaturalis; quatenus habenti illam, eo ipso debentur omnia dona conducentia ad ultimum finem, ipseque ultimus finis; non tamen negativè, seu privatiuè, quasi nihil supernaturale existere possit, aut debeat per se, ante eius infusionem. Nam, & in ordine naturali forma substantialis, cui æquiparatur Gratia sanctificans, ita postquam existit est prima radix cæterorum omnium, quæ superadduntur in compositis, ut tamen præexigat ante introductionem sui, dispositionem sibi congruentem ex parte subiecti.

Ad 5. Dispositio requisita ad infusionem vniuscuiusque Virtutis Theologicæ, debet esse talis, ut præster initium stabili, ac permanenti coniunctioni cum Deo, quæ perficitur, ac completur per eandem virtutem. Unde dispositio necessaria ratione sui, & sufficiens ad infusionem habitus Fidei est actus Fidei, idemque dicitur de actu Spei, & Charitatis respectu suorum habituum. Quia hi soli actus subiiciunt Deo intellectum, & voluntatem, in qua subiectione consistit unio propria hominis cum Deo, ac proinde non potest initium aliunde ducere, quam ab eiusmodi actibus. Verum quia hi actus possunt esse, vel pertinentes formaliter ad eas virtutes, quoad omnia sua prædicata, vel pertinentes tantum æquivalenter quoad subiectionem intellectus, & voluntatis per aliquam participationem propriam eius virtutis; ad quam sic pertinere dicuntur, atque quoad hoc est aliquod discrimen de dispositione in Sacramento, & extra Sacramentum requisita, præsertim respectu habitus Charitatis; commodius ea differentia exponuntur, dum de singulis seorsim virtutibus agitur, deque earum infusione intra, & extra Sacramentum.

Art. 1. Ad 6. Actus isti disponentes possunt considerari dupliciter cum D. Thoma 1. 2. q. 112. art. 3. Primò, ut sunt à libero arbitrio, hoc est quoad omnem, & solam perfectionem secundum quam subest electioni, & liberæ determinationi arbitrij nostri; atque ideo secundum totam, & solam perfectionem suam physicam, & bonitatem moralem, etiam supernaturalem; atque ut sic non connectuntur ex natura rei cum infusione habituum, nec eam inferunt necessariò; quia donum Gratiæ, ac permanentis coniunctionis, & communicationis familiaris Dei, respectu nostri excedit omnem præparationem humanam. Imò, & in creatis, quod aliquis, quantum est ex se, adhibeat consensum, & præparet animum familiaritati alterius in eundem, nullam illi alteri necessitatem, aut obligationem imponit, ut & ipse consentiat, atque ineat amicitiam. Cæterum si secundò iidem actus considerentur, quatenus veniunt à Deo mouente nos per illustrationes, & inspirationes suas ad eandem cum ipso mutuam coniunctionem permanentem, eamque offerentem, & intendente quantum est ex se, efficaciter connectuntur proculdubio ex natura rei, imò, & essentialiter cum infusione habituum, eamque inferunt infallibiliter; quia intentio Dei frustrari non potest, nec esse nugatoria eius, aut oblatio, aut persuasio.

Articul. 2. Conferuntur autem eo modo auxilia actualia

actualia Gratia, quibus animus hominis preparatur, ac disponitur à Deo. Conferuntur enim à Deo, dante *Homini bus potestatem Filios Dei fieri*; vt habetur in Evangelio Ioannis; atque ideo offerente fi.ationem suam; & vt monet Apostolus, *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*: Quod tamen non oporteret, nec possibile esset credere, nisi Deus primos nostros conatus inquirendi ipsum, & ad ipsum accedendi, hoc est, preparationem, & dispositionem animi nostri, respectu familiaris cum ipso coniunctionis preueniret mouendo cor nostrum propositione, & exhibitione sui, quatenus prompti, aut parati ad remunerandam eandem nostram inquisitionem, & preparationem muneribus, quæ accipienda superiunt post auxilia actualia, quibus iam præueniat accedentes, & inquirentes; idest, ad remunerandam eam inquirentem, & dispositionem stabili, & permanenti coniunctione sua nobiscum, & nostra cum ipso, quod fit per infusionem habituum Theologicorum. Hi nimirum soli accipiendi supersunt ex ea suppositione, idemque sunt remuneratio propria animi nostri, quatenus prompti, ac dispositi ad eam mutuam coniunctionem permanentem.

Art. 3. Quare actus, quibus sic disponimur, licet spectata eorum perfectione tam physica, quam moralis; tam supernaturali, quam præcendenti à naturali, & supernaturali, non sint meritorij nisi de congruo infusionis habituum, nec eam reddant infallibili futuram; sed tantum proximè possibilem, & probabiliter futuram: tamen quatenus dependent à motione Dei proponentis se, vt remuneratorem, & suam coniunctionis habitualis mutuae intentionem, habent connexionem intrinsecam intentionalem penitus infallibilem cum eadem habituum infusione. Quia verò conaturale est actibus nostris dispositiuis supernaturalibus, vt fiant dependenter à tali motione Dei, propterea absolute dicendum est illos intrinsecè, & ex natura rei connecti cum infusione eorum habituum.

Ad 7. Conceditur propter illam auctoritatem Concilij, & propter rationem reddendam quæst. 11. actus istos dispositiuos nullatenus influere efficienter ad habitus Theologicos; sed negatur, nullam superesse præterea rationem utilitatis, & necessitatis, ob quam illi ad istos præmittantur. Quia licet ad formam purè physicam, non possit habere rationem dispositionis, quod non habet virtutem influendi saltem partialiter in illam; tamen respectu formæ propriæ subiecti rationalis, ordinate ex sua natura ad mutuam, coniunctionem intentionalem, & amicabilem, omnino potest habere rationem propriissimam dispositionis consensus præuius ex parte patientis, & inchoatio imperfecta perfectæ, ac permanentis illius coniunctionis: de cuius videlicet ratione est, vt sit voluntaria ex utraque parte, vt expositum est superius.



QVÆSTIO IX.

Vtrum actus disponentes ad infusionem Virtutum Theologicarum procedant efficienter ab eisdem?



IDEVR procedere. 1. Quia non repugnat in genere mutua prioritas inter duas entitates, quod communiter suadet in physica efficienter variis exemplis rerum mutuo se præcedentium. Ergo non repu-

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

gnat eadem mutua prioritas inter actum disponentem ad habitum, & ipsum habitum; ita vt actus quatenus disponens, seu consentiens vnioni cum Deo, præcedat habitum, quatenus vnitiuum Dei cum homine. Habitus verò, quatenus habens talem determinatè actiuitatem, & vim communicatiuam sui, & quatenus capax est adiuuare potentiam rationalem, præcedat, efficiatque actum, vt attingentem tale determinatè obiectum, proprium eius habitus; & vt habentem talem determinatè perfectionem acceptam ab eadem potentia, & eius comprin. ipsius. Consequentia tenet; quia admissa mutua prioritate in genere, nulla superest in re præcènti difficultas specialis.

2. Actus præcepti sitarum virtutum requiruntur ad ipsarum, maximè verò Charitatis, conseruationem; & nihilominus procedunt efficienter ab habitibus actus deservientes ad conseruationem, vt dictum est quæst. 6. ad 5. Ergo procedunt similiter ab iisdem, qui determinunt ad primam infusionem.

3. Actus Charitatis disponens ad Gratiâ sanctificantem meretur de condigno primum gloriam, vt docet D. Tho. & colligitur magno cum fundamento ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 8. de iustif. Ego procedit ex Gratia, & Charitate, ad quam disposit. Patet consequentia, quia actus non procedens ex Gratia, & Charitate, quæ est semen gloriæ, nequit esse meritorium gloriæ de Condigno. Rursus idem actus meretur de Condigno Gratiâ, ad quam disponit, si non procederet ab ipsa efficienter; id-oque non præsupponeret eandem Gratiâ, iam gratis datam. Quia procederet ab homine non inimico Dei, vt pote habente in se pro eodem instanti reali Gratiâ iustificantem, nec illi deesset vlla alia conditio, requisita ad meritum de Condigno. Sequela autem est manifestè contra Tridentinum ibidem. Demum communiter admittitur, nec videtur negari posse mutua prioritas inter merita Christi, & Maternitatem B. Virginis, aliaque similia. Ergo admitti similiter potest, ac debet mutua prioritas inter habitus, & eorum dispositiones, cum nulla sit aduersus eam difficultas specialis.

4. Potest Deus, vt arguit Ripalda, de potentia absoluta, seu prouidentia extraordinaria, prædefinire efficienter existentiam actus disponentis per decretum d. functionum, circa eius principia, volendo scilicet, vt fiat dependenter, vel ab habitu, ad quem disponit, vel à solis auxiliis actualibus, vel ab auxilio extrinseco. Præuiso verò actu, vt absolute futuro, in eo decreto, potest postea intuitu eius dare determinatè per aliud decretum ipsum habitum, qui est principium actus cæteris præstantius; ac proinde capax, cuius electio, ac determinatio habeat rationem præmij. In hunc igitur modum est absolute possibile, vt dispositio procedat efficienter ab habitu, ad quem disponit.

5. In pluribus locis Scripturæ docemur, prius nos diligere à Deo, quam ipsum diligamus; non posse Deum diligere, nisi ab habente iam in se Deum; & dilectionem Dei fieri non posse, nisi per infusionem Spiritus sancti. Diligit autem nos Deus per actum, quo infundit nobis Gratiâ, & Virtutes: Habetur à nobis per eandem: Et infusio Spiritus sancti est indistincta ab infusione eiusdem Gratiæ, & donorum. Ergo existentia Gratiæ sanctificantis, & reliquorum habituum supernaturalium est prior, quam dilectio nostra erga Deum, qua disponimur ad receptionem eorum; eademque est ratio de dispositione ad quemlibet alium habitum supernaturalem. Ergo omnis talis dispositio procedit ab habitu, ad quem disponit.

Art. 1. Respondetur. Actus disponentes ad infusionem Virtutum Theologicarum eliciuntur liberè; quia non sunt dispositiones purè physice, sed morales.

X x 2 Non